Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 651

Quelle:
Copyright:

cretorum doctor. En Professorem *Pragensem* ex antiquissimis, *Balbino* non memoratum, jungendum *Uberto de Lampugnano*, quem *Vol.* I. P. 2. *col.* 1541. vivis reddidi. Plura porro ille sua manu etiam ad *Hieronymianum* notavit. Ita *fol.* 12. ad locum Amos: *Fuge in terram Juda et comede ibi panem et prophetabis ibi*, adjecit: *Nota pro me. Fol.* 33. ad verba: *de amaro semine literarum dulces fructus capio*, sic: *Ad hoc bene facit et concordat, quod alias dixi et recitavi in scolis in principio studii. Scolares meos alliciendo ad scientiam capessendam. Diffiniens Scientiam in genere sic dicens. Scientia est arbor nobilissima, cujus fructus sunt dulcissimi, sed etiam radix amarissima. Et qui radicis amaritudinem non gustauerit, dulcedinem fructuum non habebit. Bonsignore doctor. Fol.* 69. p. 2. ad verba: *Non tanta per victoriam sequitur gloria, quanta ignominia post ruinam;* sic: *Nota contra pepulenses* (Pepoli) *de bononia quondam Dominos. Fol.* 92. ad verba: *In eius aduentu omne bellandi studium confertur ad pacem*, monetur: *Nota pro Domino imperatore quando transibit in ytaliam.* Quod factum a. 1354. triennio post scriptum Codicem. Atque haec ad *Hieronymianum*. Deinceps *fol.* 112. p. 2. ad verba de Augusto: *et continuo germaniam aggreditur*, adscriptum: *Nota de boemia quod est in germania, nam germania protenditur de vngaria vsque ad Renum. Fol.* 129. ad Papissam delineata est ejus Figura cum addito: *iste papa fuit femina. Fol.* 162. ad verba: *prius eum vitam debuisse ponderasse*, et fingillatim ad τὸ *ponderasse* notatur: *Istud est uerbum boemorum;* nempe *Wážiti*. Unde concludo Supplementum hoc ad *Martinum* e quodam Chronico *Bohemico* versum esse. Demum *ead. pag.* ad verba de *Ottocari* Vidua: *suum militem nomine sauissum in Maritum accipiens*, observavit Bonsignorius: *Non recepit in maritum, sed in amasium potius, ut a boemis percepi et audiui. Sed ita fuit dictum* (in Codice) *forte propter honestatem.* Ad compingendum praeclarum hunc Codicem servit utrinque Folium chartaceum dereptum e *Commodis Ruralibus Petri de Crescentiis* L. V. de Pomorum cultura, quod Opus *lat.* et *ital.* saepius excusum est Sec. XV. Manus Autoris aetatem adtingere videtur.

CCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 568
partim XII. partim XIII. eleganter exaratus, minioque distinctus hac Rubrica gaudet: *Incipit Epistola de VII. Gradibus Ecclesiasticis Beati Hieronimi Presbiteri ad Rusticum Narbonensem Episcopum.* Obiit *Hieronymus* a. 420. ad sedem *Narbonensem* non ante an. 427. perveniisse creditur *Rusticus*. Igitur alia Exemplaria ad *Damasum* Papam, alia nemini inscripta sunt. Sed etiamsi faveret tempus, stilus egregii cetera Opusculi *Hieronymianus* non est. Atque istud argumentum plus valet,

quam